







DISSERTATIO IVRIDICA  
DE

1, 811. 2  
174882  
pb

LEGATIS POENAE  
NOMINE RELICTIS,

---

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO

CONSULTISSIMO ET DOCTISSIMO

GVSTAVO BERNHARDO  
BECMANNO,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE ET PHILOSOPHIAE  
MAGISTRO,

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

AD D. XVII. OCTOBR. A. R. S. M DCC XXXVIII.

SVBMITTET

AVCTOR RESPONSVRVVS

ADOLPHVS FRIDERICVS LOCCENIVS,

STRELITIO-MEGAPOLITANVS.

J. V. C.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,

EXCVB. CHR. FRID. NATHAN. FÜRST. ACADEM. TYPOGR.



DISSEMINATIO IURIS

LEONARDI VON  
NOMINIS IURIS

P. RASIDIS

CONSULTISSIMO ET DOCTISSIMO

GIULIO BERNARDINO

DEMANNO

IN IURIS PRAECIPIIS

ET IURIS

AVTORIA

DE IURIS

IN IURIS

DE IURIS







DE  
LEGATIS POENAE NOMINE  
RELICTIS.



§. I.

Si quis ex dispositione vltimae alicuius voluntatis quidquam acquirit; dispositio haec vel efficaciter est adceptata, vel non. Si posterius; *nuda* dicitur, vbi quod acquiritur vel titulo vniuersali acquiritur, vel singulari. Posterius *legati* ideam exhibet, quo nomine hodie venit quidquid ex nuda dispositione vltimae alicuius voluntatis singulari titulo acquiritur. *Legati notio*

Longe alia iure veteri legatorum ac recentiori ratio fuit, quum adhuc differentia inter ea et fideicommissa, atque haec inter et hereditates subsisteret. Tum enim dispositio haec vltimae defuncti voluntatis vel



verbis facta erat directis seu civilibus, vel obliquis  
 seu precatiuis. Illo casu demum legatum, et hoc  
 fideicommissum vocabatur, ULPIAN. *Fragm.*  
*XXIV. 1.* cuius differentiae insignes erant effectus,  
 quos recenset HEINEC. *Antiquit. Rom. II, 23. 9.*  
 Vtroque casu quod relinquebatur vel per rationem  
 quamcumque siue aequalitatis siue inaequalitatis ad  
 ipsam hereditatem determinatum, seu vt prudentes  
 efferunt, vniuersitas iuris erat, vel non, sed res quae-  
 dam singularis. Illud legatum et fideicommissum  
 vniuersale audiebat, §. 5. 6. *Inst. de fideicom. hered.*  
*l. 39. ff. de vulg. et pup. subst.* hoc vero particulare  
*pr. Inst. de sing. reb. per fideicom.* Postquam vero  
 FLAVIVS noster non verbis sed rebus leges imponens  
 discrimen illud verborum directorum et obliquo-  
 rum in hisce dispositionibus sustulerat *l. 2. C. com-  
 mun. de leg. et fideicom.* sicut idem iam antea in he-  
 reditatibus fecerat CONSTANTINVS *l. 15. C. de  
 testam.* legata particularia a fideicommissis particu-  
 laribus non amplius in effectibus differebant. Et  
 postquam idem expulso SCro Pegasiano omnem  
 Trebelliano auctoritatem tribueret, atque exinde  
 fideicommissa vniuersalia in genere titulo vniuersali  
 acquirerentur §. 7. *Inst. de fideicom. her.* idem et-  
 iam non poterat non in legatis vniuersalibus obtine-  
 re. Vnde iure nouo neglecta verborum differen-  
 tia legati nomine omne id insignitur, quod quis ex  
 nuda defuncti alicuius voluntate non titulo vniuersali  
 seu qua heres acquirit. Eandem etiam notio-  
 nem menti IMPERATORIS obuerfatam docet §. 1.  
*Instit. de Legat.* vbi idem definit per *donationem  
 quamdam a defuncto relictam ab herede praestandam.*  
 Equidem non diffiteor legata non ad genus dona-  
 tionum pertinere, cum ex dispositione non efficaciter



ter ademptata proficiscantur. Verum IMPERATOREM etiam terminum hunc non proprie sed improprie intellectum velle vel solum <sup>συμβασιμια</sup> quaedam innuit, HVB. Prael. ad Inst. eod. §. 1. Vtrum postrema verba: *ab herede praestanda*, IVSTINIANI sint, nec ne, quum nec THEOPHILVS eadem habeat, cui simpliciter legatum dicitur <sup>δωρεά από τῆ τελευταίου καταλιφεύσεως</sup>, CVIACIVS & HOTOMANNVS ad h. l. disputent. Nos hoc vnicum monemus, legatum in stricta hac significatione, alias etenim late omnino vltimae voluntatis dispositionem denotat l. 37. ff. de leg. III. l. 120. ff. de V. S. sumi tam pro ipsa dispositione, quam pro obiecto seu re, de qua disponitur quod etiam in sequentibus notandum.

## §. 2.

Si legatum aliquod existit, plures nobis personas concipiamus oportet circa ipsum concurrentes. Vel enim cogitamus eum, qui legatum illud relinquit, seu ex cuius nuda dispositione adquiretur, vel non. Illum *legantem*, vel etiam hodie, licet interdum improprie, *testatorem* dicunt. Posteriori casu vel eum cogitamus, qui ob id quod a legante ad ipsum peruenit alii quid praestare debet, vel eum cui hoc ex voluntate defuncti praestandum. Vtrumque *subiectum* legati et illum in specie *oneratum* vocant, quem ad modum hic *honorati* vel *legatarii* nomine insignitur.

*Personae circa legatum concurrentes.*

Olim legata relinqui non poterant nisi in testamento vel saltem in codicillis testamento confirmatis,

A 3

quum



quum fideicommissa etiam ab intestato relinqui possent. Vnde tum temporis omnis legans proprie testator vocari poterat. Quo etiam collineat definitio MODESTINI in l. 36. ff. de Legatis II. ubi dicit *donationem in TESTAMENTO relictam* *δορεάν ἐν ΔΙΑΘΗΚῃ καταλειφθεῖσαν* ut Basilica habent XLIV. I. r. Sed cum exaequatis legatis et fideicommissis utraque hodie sine testamento relinqui queant; legans esse potest qui non testator proprie sic dictus est. Pariter olim non nisi heredem legatis onerare licebat, cui soli testator ex LL. XII. Tab. legem dicere poterat. Quae etiam ratio est, cur FLORENTINUS l. ub. pr. ff. de Legatis I. legatum vocet *delibationem HEREDITATIS* *μειωσιν τῆς ΚΑΛΗΡΟΜΙΑΣ* Basil. l. c. 1. Sed iure nouo non tantum heres, verum quicumque ex voluntate vltima testatoris aliquid adcepit legatis onerari potest, §. 10. Instit. de fideicom. hered. Vnde etiam in sequentibus vocabulo generali *onerati* vtemur. *Honorati* Ictis in genere dicuntur, qui ex nuda vltima voluntate defuncti aliquid adciunt, vid. l. 52. §. 2. ff. de iudic. l. 1. C. commun. de legat. & fideic.

## §. 3.

Ratione onerati malum.

Quum oneratus legatum honorato praestare debeat (§. 2.); vsum rei alicuius amittit, quam alias in propriam dirigere potuisset perfectionem. Quae priuatio perfectionis cum imperfectionem inuoluat (per princ. phil. prim.); *legatum respectu onerati mali rationem habet.*

Quod in genere Philosophi adserunt, scil. quod in se malum est sub certis circumstantiis contingentibus speciem



speciem boni induere posse, idem quoque hic notari velim. Omnem legati praestationem in se respecta onerati malum esse citra controuersiam est ob rationem adductam. Non vero ideo negari potest dari casus ubi eadem per accidens oneratum perficere possit. Sed hi iam nihil ad nos determinantes scilicet quid ex notione per se considerata sequatur. Vsum huius principii quae infra sequentur ostendent

## §. 4.

Varias legati species DD. tradunt prout varias eius os eius characteres vltierius determinant. Nos species. missis quae ad rem non faciunt illas euoluemus, quae lucem infra dicendis adfundent. Hae erunt quae vulgo conditionata vocantur. Ante omnia igitur in eorum notionem inquiramus, euoluta hunc in finem breviter adcuratiore ipsius conditionis notione.

Infra ostendemus legata poenae nomine relicta ad genus conditionatorum pertinere. Iam cum specialia sine generalibus distincte cognosci nequeant; neque illorum naturam ante perspicere licebit, quam horum in genere enucleauerimus. Tria haec forsitan dices, et ex obuiis compendiis supponenda. Ast ostendas velim compendia, quae sequentia distincte euoluta tradiderint, et per me omnia vna litura deleere licebit.

## §. 5.

Si ab existentia alicuius tamquam euentus incerti spectati terminum quemdam existentiae alterius cuiusdam pendere cogitamus; *conditionem* conci-



concipimus. Euentus hic vel futurus esse potest vel non. Si prius; *conditionem in futurum conlatam* seu *stricte talem* dicunt, quae prout terminus hic vel initium existentiae vel finis est, vel *suspensua* vel *resolutiua* dicitur, et prout euentus ipse vel positius vel negatiuus est, vel adfirmatiua vel negatiua vocatur.

Alii conditionem aliter definiunt. Non iam vacat immorari recensio et discussioni notionum quas suppeditant. Rationem nostrae dabimus breuissimis. Vfus loquendi docet, nos conditionem praedicare vbi cumque terminum quemdam existentiae alicuius rei cum euentu aliquo qua incerto spectato connexum seu ab eodem dependentem cogitamus. Atque cum hic euentus qua incertus consideratus non tantum futurus esse possit, sed etiam praeteritus vel praesens; hisce casibus etiam conditionem adesse adfirmamus. Sic e. g. si Caius mihi promiserit centum aureos si vera sit relatio auunculum suum mortuum esse, quilibet hanc promissionem non simplicem, sed sub conditione factam dicit. Neque tamen Romanis defuit ratio, cur notionem conditionis ad eam quae in futurum confertur restrinxerint, cum animaduernerint id quod in praesens vel in praeteritum conlatam continet in effectu a puro nihil differre. Quam dedimus notionem conditionis stricte sic dictae id praee aliis praecipuum habet, quod et diem certum excludat, quem multi cum ea confundunt, et resolutiuam sub se contineat, quam ex vulgo obuiis euoluere non datur. Interea ex facili largimur vocabulum conditionis interdum in communi vita etiam sumi vel pro determinationibus contingentibus alicuius conuentionis, vel pro modo seu caus-



caussa finali. Sed quum tunc aequiuoce sumatur; hos casus generali definitione comprehendi repugnat.

## §. 6.

Qui cum existentia alicuius tamquam euentus futuri incerti spectati determinationem aliquam existentiae alterius rei connectit, conditionem ei adiicit. (§. 5.) Iam euentui huic per se considerato vel existentia repugnat, vel non. Illo casu conditio dicitur *impossibilis*, quae talis est vel qua conditio seu quod ad nexum determinatum spectata, vel simpliciter non habito respectu ad eum. Priorem *perplexam*, posteriorem *impossibilem simpliciter* dicunt, siue impossibilitas physica sit, siue moralis, quo casu in specie *turpis* audit. Si physica sit impossibilitas respectu determinati indiuidui tantum; *difficilem* vocant, sicut si moralis impossibilitas in specie repugnantiam cum praeceptis decori inuoluat; *derisoria* adpellatur.

Sunt qui existimant conditionem impossibilem improprie talem vocari, quum semper certum sit eam non exstuturam HEINEC. *ad Inst. Tit. de hered. instiz. §. 545.* vbi laudat *ὁμοῦλον* VOET. *in Element. iur. eod. §. 8.* Sed licet concedam ad essentiam conditionis requiri, vt tanquam aliquid incerti spectetur; non tamen inde sequitur, vt idem etiam simpliciter vel in se consideratum incertum esse debeat, cum alias ob determinatam omnium in hoc mundo futuritionem nihil sane conditionis vicem sustinere possit. Sufficit cum existentia alicuius licet erronee tanquam possibili considerata vel initium vel finem existentiae alterius ita

B

connecti



connekti, vt postea fortean illa hic etiam ponatur, quamuis in se illam nunquam adfuturam certissimum fit. Species impossibilis quam perplexam dicunt a ceteris in eo differt, quod in eadem impossibilitas ipsius nexus non alterutrius connexorum simpliciter consideratorum adfit, quod obtinet si euentus conditionis loco adsumtus non in se impossibilis fit, sed conditionato tantum repugnet v. c. si *Caia nunquam nupsit, Titius eam ducere damnas esto*. Determinata difficilis generatim spectata possibilis est v. c. si *vicinus meus*, cui crura amputata, choreas duxerit, quae ratio cur Romani ipsi etiam effectus possibilium tribuerint. Conf. inf. §. 13.

## §. 7.

species possi-  
bilis.

Si vero existentia determinato euentui per se considerato non repugnat, conditio *possibilis* dicitur, vbi iterum vel necessario ipsi competit, vel contingenter. Illam *necessariam* hanc *contingentem* vocabimus. Si prius; conditio vel affirmatiua est vel negatiua (§. 5.). Haec ea est, quam DD. *contrariam* dicunt. Sin contingenter competat; ratio existentiae est vel in voluntate determinati subiecti vel non. Si hoc; *casualem* vel *non promiscuam* dicunt. Sin illud; *promiscuam* l. ii. §. i. ff. de condit. et dem. quae prout ratio in voluntate illius sita sufficiens est vel insufficientis, vel *potestatiua* vel *mixta* audit l. vn. §. 7. C. de cad. toll.

Minus vsitata quidem hucusque DD. diuisio possibilis conditionis est in necessariam et contingentem, sed hoc non impedit, quo minus solido fundamento gaudeat. Naturali ratione in eam incidimus, vbi species



cies possibilis conditionis determinando eruere conamur. Neque rem ipsam ignotam esse ex infra dicendis manifestum erit, v. c. si dicerem: *si ore cibum sumseris*, aut negative *si flumen non ebiberis*; conditiones possibilis sunt, sed necessariae et quidem phyfice tales, sicut moraliter tales forent: *si caste vixeris* aut negative *si non occideris*. Speciem necessariae, quam contrariam dicunt, vulgo ad genus impossibilem referunt, quasi minus possibile esset flumen non ebibere, non occidere, cetera, quam cibum ore sumere, caste viuere, cetera. Laudant auctorem VLPIANVM l. 50. §. 1. ff. de hered. inst. vbi *si in non faciendo*, inquit, *impossibilis conditio institutione heredis sit expressa, secundum omnium sententiam heres erit, perinde ac si pure institutus esset*. Sed eum non de contraria, verum de impossibili negativa v. c. *si non respiraueris, si non caste vixeris*, loqui vel primus textus adspectus docet.

## §. 8.

Quod volo vel ita volo, vt terminus quidam <sup>Legata con-</sup> existentiæ eius ab existentiâ conditionis <sup>ditionata.</sup> dependeat vel non. Posterio rem voluntatem *puram*, priorẽ *conditionatam* dicunt. Legata inuoluunt voluntatem defuncti (§. 1.). Vnde prout ea vel pura est vel conditionata, ipsa quoque et *pura* et *conditionata* vocantur. Legata conditionata ob conditionem suspensiuam talia *conditionata* <sup>κατ' ἰσχύαν</sup> dicuntur.

Purum in iure aliquid dicitur vel late, quatenus liberum est ab omni restrictione, siue conditio sit, siue dies, l. 45. pr. ff. ad leg. falcid. VLPIAN. Fragm.



XVII. 31. vel stricte, vt hic, quatenus in specie liberum est a conditionis adiectione licet a tempore adiecto restringatur, quo sensu ei conditionatum opponitur.

## §. 9.

*Vitiari nota.*

Quod efficit, vt alterum effectu determinato destituatur, hoc *vitiare* dicitur, vid. l. 1. ff. de condit. instit. Quare si conditione legato adiecta aliquid effectu destituitur; hoc *viriatum* vocatur, quod esse potest tam ipsa conditionis adiectio, quam legatum. Si prius; conditio *vitiari* seu *pro non adiecta haberi* l. 20. pr. ff. eod. Sin posterius; *ipsa legatum vitiare* dicitur.

## §. 10.

*Quid sit adscribere conditionem.*

Si quis sub conditione legat; existentiam legati non vult nisi existente conditione (§. 8.). Praestari igitur legatum non vult, nisi conditio existens reddatur. Si conditio existens redditur, dicitur *impleri* l. 2. ff. de condit. et demonstr. Vult igitur testator, vt, si legatum subsistere debeat, conditio adimpleatur. Qui ex voluntate defuncti conditionem implere debet, illi *adscripta* dicitur, l. vlt. ff. de condit. institut. vt adeo *adscribere alicui conditionem* nihil aliud sit, quam determinare eum, qui conditionem implere debet.

V. c. Si testator diceret: *Titio si monumentum mihi exstruxerit; centum lego*, conditio Titio adscripta dicitur, qui eam impleuit, simulque ipsam existentem reddidit seu monumentum perfecit.

## §. 11.



## §. II.

Si testator legatum sub conditione relinquit; *Et cui ad-*  
 diuersi casus discernendi veniunt personarum, qui *scribi possit?*  
 bus adscripta conditio, ratione habita. Vel enim  
 adscripsit eam determinatae personae, vel non. Si  
 prius; vel subiecto legati vel tertio, et illo casu vel  
 onerato vel honorato (§. 2). Euoluamus breuif-  
 simis quod ad eius fieri potest effectus conditio-  
 num honorato adscriptarum, vt hoc melius pos-  
 stea de iis, quas onerato adscripsit, iudicando  
 fimus.

Eundem fere in modum rationes subducit PAVLLVS  
 noster Lib. VII. *ad leg. iul. et pap. vid. l. 60. pr. ff.*  
*de condit. et demonstr.* Neque enim implicat con-  
 ditionem dispositionis nulli adscribi, si nimirum ita  
 comparata fuerit, vt non a determinata persona ex-  
 sistens reddenda, v. c. *si calendis Ianuarii coelum*  
*serenum fuerit, si pax fuerit,* etc. Si vero testator dice-  
 ret: *si Titius Semproniam duxerit, Caio centum do,*  
*lego;* conditio haec adscripta esset tertio, quae igitur,  
 si tertius hic potestati vel onerati vel honora-  
 ri plane non subiectus est, respectu eorum pro casu-  
 ali habenda. Sin hunc in modum legaret: *Titius*  
*beres esto, et Meniam si duxerit, Caio centum dare*  
*dammus esto;* conditionem adscriptam onerato dici-  
 mus. Si tandem ita disponderet: *si Caius Sempro-*  
*niam duxerit, centum ipsi lego;* conditionem ha-  
 beremus legatario adscriptam. In sequentibus in  
 eo erimus, vt determinemus, quid obineat, si con-  
 ditio legati tam onerato quam honorato adscripta  
 sit. Interea quae trademus non ad sola legata re-  
 strin-



stringenda, sed ad alias quoque dispositiones pertinere lector *φιδόσοφος* ad demonstrationes adtendens sine vilo negotio perspiciet, quod semel hic notasse sufficiat.

## §. 12.

*Effectus perplexae conditionis.*

*Conditio perplexa quocumque modo adiecta dispositionem vitiat.* Cum enim conditio perplexa impossibilis sit qua conditio seu quod ad nexum determinatum spectata (§. 6); existentia eius existentiae voluntatis defuncti repugnat. At enim ipse conditionem hanc adiiciendo vtramque voluit (§. 8). Contradictoria ergo iussit, et per consequens nihil. Vnde cum altera voluntas alteram tollat; neutra valere dicenda est.

Si erubescendum ICTO sine lege loquenti; vide l. 16. ff. de cond. inst. vbi MARCIANVM adstipulante IVLIANO simili modo ratiocinantem audies. Idem etiam docet CELSVS l. 188. pr. ff. de reg. iur. dum vbi, inquit, *pugnancia inter se in testamento iuberentur, neutrum ratum est.* Neque mirum talem defuncti voluntatem subsistere plane non posse, cum quaeenam ipsius voluntas fuerit non pateat, ipseque adiecta conditione perplexa re vera nihil voluisse dicendus sit, vid. schol. ad §. 6.

## §. 13.

*impossibilis simpliciter talis honorato adscriptae momentum.*

*Si conditio legati honorato adscripta impossibilis simpliciter talis non-difficilis fuerit; vitiatur seu pro non adiecta habetur.* Quae enim conditio in genere possibilis respectu determinati individui honorati ex genere *τά τ' ἀδυνάτω* facit, ut dispositio testatoris effectu



effectu careat *l. 4. §. 1. ff. de statu lib.* Sed hanc difficilem diximus (§. 6.). Ergo haec legatum vitiat neque vitiat (§. 9.). Quum vero aliae conditiones impossibiles simpliciter tales honorato adscriptae dispositionem non vitient *l. 1. l. 20. pr. ff. de condit. instit.* si conditio legati honorato adscripta impossibilis simpliciter talis non difficilis fuerit; vitiat, seu pro non adiecta habetur.

Potest, si placet, per demonstrationem idem theorema generaliter exprimi: *si conditionem impossibilem non difficilem commodi alicuius ex ultima alterius voluntate capiendi captivo adscriptam vitari*, vid. schol. ad §. 11. in fine. Neque hoc duntaxat valet, si impossibilitas conditionis fuerit physica, sed etiam moralis. V. c. si testator diceret: *si Caius turrim rubram saltu exsuperauerit, vel salam ebiberit, aut si Titius furtum fecerit, vel negatiue, si non iuste vixerit, centum ipsi do, lego*; legatum simpliciter debetur detracta conditione in fauorem legatarii. Sumunt enim leges testatorem adhibitis tot solemnitatibus serio velle exitum voluntatis suae possibilem. Quod cum fieri nequeat, nisi conditiones impossibiles detractas velit; hae *επιχωρησικαυ* et *αποδεδωκεν* habentur, ut Basilica habent XLIV. 19. 13. ex ipsa eius praesumpta voluntate. Aliud in conventioni placuisse in vulgus notum est, §. 19. *Instit de inut. stipulat.* Diuerfariis rationem hic exponere nihil adtinet. Tu vide sis HVB. *Prael. ad ff. Tit. de cond. inst. §. 6.* Quod vero difficiles conditiones concernit, R mani non eundem in modum rationes subducendas censuerunt. Quum enim in se spectatae possibile: sint (schol ad §. 6.); possibilitium rationem i-  
pfiis



plis tribuendam putarunt. Quoniam itaque non nisi impletis ipsis dispositio valere potest (§. 10.); hoc vero fieri nequeat (§. 6.); dispositio nunquam valet, sed vitatur, v. c. si testator diceret: *si Caius octuagenarius post 50. annos a morte mea monumentum mihi fecerit, centum do, lego.* conf. HVB. ad Inst. Tit. de hered. inst. §. 7.

## §. 14.

*Effectus possibilis physice necessariae.*

*Si conditio legati honorato adscripta possibilis necessaria physice talis fuerit; pro non adiecta habetur.* Dum enim physice necessaria est (per hyp.); certum est ab honorato eam impletum iri. Et quum testator tunc legatum ipsi praestari voluerit; statim certum est legatum illi deberi. Quia itaque non ab incerto euentu suspenditur; conditio pro non adiecta habetur (§. 9.).

E. gratia si testator diceret: *Caius si respirauerit, aut negatiue, si flumen non ebiberit, funtum meum habeto;* dubium non est, quin statim debeat, eam ab initio certum sit, conditionem nunquam deficere. Eodem principio vsum videbis *VLPIANVM l. 4. §. 1. ff. quando dies legat.* vbi si cui legatum sub conditione si ipse mortuus fuerit, relictum quippe ad heredes transmissibile statim deberi contendit, Vulgo huc referunt *l. 50. §. 1. D. de hered. inst.* Sed vide quae diximus i. pra ad §. 7.

## §. 15.

*Et moraliter talis.*

*Si conditio legati honorato adscripta possibilis moraliter vero necessaria fuerit; valet, nec vitatur.* Nam si moraliter necessaria fuerit; legatarius iam aliunde obligatus est ad eam implendam (per. def.). Cum vero



vero nihilo minus physice possibile fit, ipsum huic obligationi contrauenire; testator adiecta conditione obligationem eam auxit, et in casu violationis eius commodo relicto ipsum indignum iudicauit. Quod quum saluis legibus fieri queat; conditio valere dicenda est.

E. gr. Si testator diceret: *Caio, si Titium non verberauerit, aut in genere affirmatiue, si caste vixerit, centum do, lego*; dubium non est, quin conditio valeat, et relictum sub tali conditione tamquam conditionatum debeat. Dum enim testator Caio centum legauit si Titium non verberauerit, vel si caste vixerit; non tantum ipsi motiuum dedit ad satisfaciendum huic obligationi, sed etiam, si secus fecerit, legato potiri noluit. Ponamus itaque Caium vel Titium verberasse vel libidini indulgisse; nemo sane ipsum ex voluntate testatoris legatum capere posse dixerit. Sed quid interim fiet pendente conditione? Vtrum admitemus illum ad cautionem, quam *mucianam* vocant, an expectare ipsum iubebimus abscisse existentiam eius? Vulgo DD. cautionem hanc ad conditiones negatiuas restringunt ob l. 7. pr. ff. de condit. et demonstr. vbi VLPIANVS mucianam, inquit, cautionis utilitas consistit in conditionibus, quae in NON FACIENDO sunt conceptae. Sed rationem hos fugere et lex et ratio docet. Primo enim falsum est in omni conditione negatiua honoratum, cui adscripta, ad cautionem hanc admittendum, cum hoc non procedat, nisi quando existentia conditionis abscisse a morte honorati dependet v. c. *si Lipsiam non profectus fueris*. Si ita conditio, licet negatiua, comparata fuerit, vt ante eius mortem ex-

C

sistere



sistere seu impleri queat, quod scil. contingit, si existentia contrarii eius impossibilis sit v. c. *Si multitudinis instantibus autumnalibus Lippam non profectus fueris*; ratio cautionis cessat, et praecise existentia expectanda, vt diserte tradit PAPIANVS l. 72. §. 2. ff. de cond. et demonstr. Deinde cautio haec non ad solas condiciones negatiuas, sed eadem ratione etiam ad affirmatiuas, quae non nisi morte honorati existere possunt, pertinet, quod, si textum desideras, idem docet l. 101. §. 3. ff. cod. Diudicari ex hisce adlatis in quolibet casu ex facili poterit, vtrum legatarius sub hypothese \$phi praesentis pendente conditione ad cautionem mucianam admittendus sit nec ne.

## §. 16.

*Effectus possibilis contingens.*

*Si denique conditio legati honorato adscripta possibilis contingens fuerit; itidem valet nec vitatur.* Si enim possibilis contingens fuerit; in se nihil obstat, quo minus legatarius eam adimpleat (§. 10.). Dum ergo testator ab eius existentia dependere voluit existentiam legati; nihil voluit quod non per leges fieri posset. Iam testator ius hunc in modum disponendi habet l. 35. §. 3. ff. de hered. instit. Ergo talis conditio valet nec vitatur (§. 9.)

Ponamus e. gr. testatorem dixisse: *Caio, si Titiam duxerit, fundum meum do lego*; nemo certo inficias ibit conditionem hanc subsistere, ipsumque legatum non valere nisi qua conditionatum. Sexcenti hoc textus loquuntur, quos noto notiores citare nihil adinet, non magis quam alios hic occurrentes non leuis momenti casus accuratius, quam vulgo fieri solet



solet determinare, cum quae ad scopum non directe faciunt in medium non proferre apud animum constituerim.

## §. 17.

Transeamus iam ad oneratum. Ei etiam con- Effectus le-  
 ditionem legati adscribi posse supra diximus (§. 11.) gati sub con-  
 Nostrium nunc est determinare, quid in singulis ca- ditione one-  
 sibus obtineat. Si diuersitatem conditionis spe- rato adscrip-  
 stemus; ea vel perplexa est vel non. Si prius; ta.  
 dispositionem vitiat (§. 12.). Sin posterius; vel  
 testator eam tamquam pendentem ab arbitrio one-  
 rati considerat vel tamquam casualem. Si illud;  
 malum cum tali onerati actione connectit (§. 3.).  
 Quod quum obligationem negatiuam constituat  
 (per defn.) quae adfirmatiua est contrarii (per  
 princ. iur. nat.); *legatum sub tali conditione onerato*  
*adscripta relictum obligationem quamdam ad contrarium*  
*conditionis continet.*

Sit e. gr. a Caio legatum mille aureorum Sempronio  
 relictum sub conditione si ille Titiam duxerit. Cum  
 Caius in casu matrimonii cum Titia iniri alteri cui-  
 dam mille aureos praestare teneatur; testator effecit,  
 vt malum aliquod cum actionis huius commissione  
 antea non connexum iam coniunctum sit. Iam ma-  
 lum aliquod consecretarium cum actione connexum  
 motiuum ad eam omittendam seu ad contrarium  
 eius inuoluit. Et cum motiuus obligatio constitua-  
 tur; extra dubitationis aleam positum est, legatum  
 hoc mille aureorum a Caio sub data conditione re-  
 lictum obligationem ad contrarium, seu ad euitan-  
 das cum Titia nuptias continere. Hoc vnicum

C 2

nota



notari velim, nos hic loqui de eo quod ex notione eiusmodi legati in se considerata consequitur. Neque enim dissimulandum est, nec testatorem in dato casu id semper intendere, nec obligationem hanc semper suo usque adeo valere momento, ut oneratum actu ad contrarium determinet.

## §. 18.

*Conditio onerato adscripta quid involuat.*

*Legatum alicui sub conditione onerato adscriptum legatum liberationis ab obligatione illud praestandi onerato sub contraria conditione eidem adscriptum comprehendit.* Quod si enim testator alicui legatum relinquit sub conditione onerato adscripta; non vult hunc legatum praestare, nisi in casu existentis conditionis (§. 8.). Quapropter si conditio non existat; legatum ab eo praestari non vult. Connectitur igitur cum non existentia determinatae conditionis seu quod idem est, cum existentia contrarii eius liberationem onerati ab obligatione praestandi legati. Adeoque ipsi liberationem ab obligatione praestandi legati sub opposita conditione ipsi adscripta legat (§. 5. 8.).

Exemplum aliquod theoremati generali lucem adfundet, eique notionem respondere communem ostendet. Sumamus e. gr. casum in scholio ad §. praecedentem adlatum, scil. testatorem a Caio si hic Titiam duxerit, mille aureos Sempronio legasse. Cum testator Caium summam hanc aureorum Sempronio solvere non velit, nisi ille Titiam duxerit; palam est, eundem voluisse, ut Caius liber sit a praestatione huius legati, si a nuptiis his, quibus eum connexum, absti-



abstinerit. Pendet ergo liberatio onerati Caii a praestatione legati ex voluntate testatoris ab euentu futuro incerto contrario conditioni adiectae. Quapropter quum hoc legati sub conditione relictionem exhibeat; per se patet, testatorem hoc ipso facto Caio legasse liberationem ab obligatione praestandi legati sub conditione eidem adscripta contraria. Vnde semper in hoc legato in posterum distinguenda conditio ipsius legati a conditione liberationis ab eodem illi contraria, quam tamen, caue, confundas cum liberatione, de qua *tit. ff. de liberatione legata*. Vltimum huius theorematis mox videbis amplissimum, quum principii reductionis ope naturam legatorum sub conditione onerato adscripta relictorum explicaturi sumus. Quem quidem in finem, quae proxime sequuntur, duo theoremata adhuc praemittere placet.

## §. 19.

*Si conditio legati onerato adscripta impossibilis fuerit simpliciter talis; conditio liberationis contrariae possibilis necessaria est, et contra, si conditio illa legati possibilis necessaria fuerit; conditio liberationis contrariae ad conditio-* *Habitus conditionis legati impossibilis et necessariae ad conditio-*  
*nem liberati-*  
*onis.* Ponamus enim testatorem legasse sub conditione impossibili simpliciter tali onerato adscripta. Voluit ergo liberationem eius ab obligatione praestandi sub contraria conditione. (§. 18.) Atqui contrarium eius quod impossibile est possibile necessarium dicitur (per princ. phil. prim.). Ergo conditio liberationis contrariae possibilis necessaria est. Quod erat innum.

Pariter si legauit sub conditione possibili necessaria onerato adscripta, liberationem eius sub contraria conditione voluit (§. 8.). Sed contra-



rium necessarii impossibile vocatur ( per princ. phil. prim. ). Condicio igitur liberationis contrariae impossibilis est. Quod erat alterum.

Qui acumen habent ad peruidendum abstracta in concretis in quolibet casu obiuo veritatem principii praesentis adgnoscent. Interea illustrationis gratia quosdam adferre iuvat. Ponamus testatorem ita legasse sub conditione impossibili physice tali v. c. *Caïum, si flumen ebiberit*, aut negatiue, *si non spiritu in pulmones animam duxerit Sempronio mille solidos dare iubeo*; perinde sane est ac si dixisset: *Caïum liberum esse volo a praestatione mille solidorum Sempronio facienda si flumen non ebiberit*, aut si spiritu in plumones animam duxerit i. e. sub conditione possibili physice necessaria vid. schol. ad § 7. Ponamus porro eum ita legasse sub conditione impossibili moraliter tali v. c. *Meuium, si occiderit*, aut negatiue, *si non caste vixerit Iauoleno centum dare volo*, idem est ac si dixisset, *Meuium, si non occiderit*, aut caste vixerit, liberum volo a praestatione determinatae summae Iauoleno facienda i. e. sub conditione possibili moraliter necessaria, vid. schol. cit. Similiter si sumamus eum legasse sub conditione possibili necessaria vel physice tali e. gr. *Titium si salam non ebiberit*, vel moraliter tali v. c. *si furtum non fecerit, Sempronio centum dare iubeo*; in effectu idem ac si dixisset, *Titium liberum esse volo a praestatione determinati legati, si vel salam ebiberit vel furtum fecerit, seu sub conditione impossibili*. Quae quidem exempla insuper ostendunt, conditiones liberationis conditionibus legatorum contrarias cum hisce conuenire quidem ratione principii possibilitatis



tatis vel impossibilitatis, differre vero ratione qualitatibus, ut si haec affirmativa fuerit, illa negativa sit et contra. De cetero loquimur de conditionibus impossibilibus simpliciter talibus. Quid ratione <sup>art. 290</sup> obtineat ex §. 12. manifestum.

## §. 20.

*Si conditio legati onerato adscripta possibilis contingens sit; conditio liberationis contrariae itidem est possibilis contingens.* Vult enim testator in casu huius legati liberationem ab obligatione eius praestandi sub conditione contraria (§. 18.). Atqui conditio legati est possibilis contingens (per hyp.). Et contrarium possibilis contingens etiam possibile contingens est, (per princ. phil. prim.) Ergo contrariam liberationem vult sub conditione, quae etiam possibilis contingens est.

*Habitus conditionis legati possibilis contingens ad conditionem liberationis.*

Si demonstrationem generalem ad casum specialem adplicare libuerit; maior eius euidencia erit. Ponamus e. gr. testatorem legasse sub conditione possibili contingente: *Caius si mundus huius Lipsiam profectus fuerit, Titio centum dare damnas esto.* Si possibile est contingens Caium Lipsiam profectisci; etiam possibile contingens est contrarium scilicet eum eo non profectisci. Adeoque cum tale legatum legatum liberationis ab eodem sub contraria conditione contineat (§. 18.); eadem possibilis contingens est.

## §. 21.

*Si conditio legati onerato adscripta physice impossibilis simpliciter talis fuerit; ipsa legatum vitiat, non vitiat.* Etenim legatum sub conditione onerato

*Effectus conditionis physice impossibilis onerato adscriptae.*



to adscripta relictum legatum liberationis ab obligatione illud praestandi onerato sub contraria conditione eidem adscripta relictum continet. (§. 18.) Iam vero si conditio legati onerato adscripta simpliciter impossibilis physice talis fuerit; conditio liberationis contrariae physice necessaria est (§. 19.). Liberatio ergo onerato sub conditione physice necessaria ipsi adscripta competit. Sed legatum sub conditione physice necessaria honorato adscripta detracta conditione simpliciter valet (§. 14.). Ergo etiam hoc casu liberatio. Adeoque legatum vitiat per conditionem, non vero ipsa conditio. (§. 9.)

Est artificium reductionis, quo demonstratio haec nititur, cuius usum geometrae tam in elementari quam sublimiori geometria deprehendunt maximum. Ob euidenciam, quae inde oritur, quae sequuntur propositiones huc pertinentes ex eodem fonte deducere placet. Interea hoc theorema etiam sequentem in modum demonstrare licet. Cum testator conditionem adiecerit, non vult legatum praestari nisi ea impleta (§. 8.). Quoniam haec vero physice impossibilis est (per hyp.); nunquam impleri potest (§. 6.), adeoque nunquam legatum praestatur. Efficit ergo conditio haec adscripta, vt legatum effectu destituatur, adeoque illud vitiat non vitiat. (§. 9.) E. g. si quis ita legasset: *Caius, si salam ebiberit, Titio centum dato*; legatum nullum est, cum certum sit Caium conditionem hanc, quae existentiam legati determinat, nunquam adimplere posse.



## §. 22.

*Si vero conditio simpliciter impossibilis legati onerato adscripta moraliter talis fuerit; nec vitatur nec vitatur legatum.* Si enim conditio simpliciter impossibilis legati onerato adscripta moraliter talis fuerit; conditio liberationis contrariae moraliter necessaria est (§. 19.). Sed si conditio commodi alicuius honorato adscripta moraliter necessaria fuerit; valet nec vitatur (§. 15.). Ergo etiam conditio ipsius legati.

*Effectus moraliter impossibilis conditionis eadem adscriptae.*

Potest hoc theorema etiam ita demonstrari. Dum testator conditionem legati onerato adscripsit, non vult ipsum legatum praestare, nisi postquam eam adimpleverit (§. 8.). Et quum eadem moraliter impossibilis sit (per hypoth.); iubet ipsum legatum praestare, si forte actionem aliquam legibus contrariam commiserit. Iam legati praestatio respectu onerati mali rationem habet (§. 3.). Connexit igitur malum aliquod arbitrarium cum illa actione, seu obligationem negativam effecit. Quum vero actio haec per se iam legibus contraria sit (per dem.); negativam obligationem iam connexam habuit. Nihil ergo legato relicto effecit, quam ut oneratum obliget ad hoc magis faciendum ad quod iam aliunde obligatus erat. Quod cum legibus non repugnet; palam est, talem conditionem naturali ratione nec vitari nec legatum vitare posse. V. c. Si quis dixisset: *Meuius si Caium verberaverit, Titio centum dato*; dispositio valet, ut Meuium dictam conditionem existentem reddentem centum praestare oporteat. Haec de conditionibus impossibilibus onerato

D

to



to adscriptis. Iam ad possibles progrediendum tam physice (§. 21.) quam moraliter (§. 22.) tales. Quae cum vel necessariae sint, vel contingentes (§. 7.); de singulis distincte agendum.

## §. 23.

*Effectus eius, si fuerit possibilis necessaria.*

*Si conditio legati onerato adscripta possibilis simpliciter necessaria fuerit; vitatur et vitatur legatum.* Si enim conditio legati onerato adscripta possibilis simpliciter necessaria fuerit; conditio liberationis contrariae impossibilis non-difficilis est (§. 19.). Sed conditio impossibilis non-difficilis commodi alicuius ex ultima voluntate capiendi capturo adscripta vitatur non vitatur (§. 13.). Ergo oneratus detracta hac conditione liberationem habet, seu legatum praestare non tenetur. Unde manifestum, conditionem possibilem necessariam onerato adiectam vitare legatum ipsamque vitari.

Supra euicimus legatum sub conditione onerato adscripta relictum ad contrarium conditionis obligationem continere (§. 17.). Neque minus demonstratum dedimus, si conditio necessaria contrarium eius esse impossibile (§. 19.). Quod si ergo ponamus legatum sub conditione possibili necessaria onerato adscripta relictum; obligationem ad aliquid quod vel physice vel moraliter impossibile est cogitamus. Sed ad impossibilia obligatio est nulla (per princip. iur. nat.). Ergo noua quadam ratione adparet, cur Romani tale legatum subsistere non posse iure conseruauerint optimo. Et quum ipsum conditionem liberationis impossibilem contineat; factum est ut DD. eius rationem habentes idem sub impossibili conditione relictum vulgo dicant licet conditio legati proprie



necessaria sit. Dum vero in hypothesi theorematis praesentis conditionem possibilem necessariam, *simpliciter talem* dicimus; thesin eiusdem nisi ubi contrarium eius in genere, non vero tantum respectu determinari subiecti impossibile, non obtinere inuimus. Rationem reddidimus supra in scholio ad §. 13. De cetero parum refert, vtrum conditionem adscriptam physice an moraliter necessariam sumas, cum per demonstrationem vtroque casu idem obtineat. E. gr. si testator diceret: *Caius si coelum digito non tetigerit, aut si furtum non fecerit, Titio centum dato*; sub impossibili conditione Caium liberatum vult a praestatione legati, quae idcirco in fauorem eius detrahitur, vt legatum euanescat.

*Effectus eius,  
si fuerit pos-  
sibilis contin-*

## §. 24.

*Si tandem conditio legati onerato adscripta possibilis contingens fuerit; nec vitiat legatum nec vitatur. Si enim conditio legati onerato adscripta possibilis contingens fuerit; conditio liberationis contrariae itidem possibilis contingens est (§. 20.). Atqui conditio possibilis commodi alicuius ex vltima alterius voluntate capiendi capturo adscripta valet, nec vitatur (§. 15.). Ergo oneratus non liberatur a praestatione nisi contrarium fecerit, adeoque conditio valet neque legatum vitiat.*

Si conditio legati onerato adscripta possibilis contingens fuerit; testator nihil vult, quod in se per leges vel aliam ob causam fieri nequeat (§. 7.). Nulla ergo ratio est, cur voluntas eius exitum non habere debeat, vnde merito conditio subsistit, neque legatum inutile reddit. V. c. Si testator diceret: *Caius si equum suum alienauerit, Titio centum dato*; dispositio valet, vt equo alienato Caius Titio deter-

D 2

mina-



minatam summam soluere obligatus sit. Haec sunt quae pro scripti scopo de conditionibus legatis adiectis proponere nostrum duximus. Iam ad ipsam explicationem arduae doctrinae de *legatis poenae nomine relictis* subfultam quippe principiis antea traditis nos adcingimus. Quae quidem nos in antecedentibus nihil adduxisse, quo hic sine incommodo carere possimus, ipso facto fidem faciet.

## §. 25.

*Poenae quid?*

Si confectaria actionis alicuius tamquam liberae spectatae concipimus; *merita* eius cogitamus. Haec confectaria vel bona sunt vel mala. Si posterius; *poenae* nomine veniunt.

Sicut inconstans et vagus vsus loquendi cum plurimis terminis non eandem semper notionem coniungit; ita idem in termino *meritorum actionis et poenae* vsu venire deprehendimus. Sed iam non id agimus, vt homonymiam horum terminorum explicemus, quum ratio instituti nostri id non permittat. Sufficit significationem vsui loquendi conformem nos determinasse, qua nos hisce terminis vsuri sumus. Vnde etiam, cum exempla vulgo obuia sint, iisdem tuto abstinere licebit. Finis ob quem quis poenam cum actione aliqua futura connectit, non alius esse potest, quam vt alter inde ad eam omittendam determinetur. Poena malum est. Mali repraesentatio auersationem efficit, et mortuum nolitionis inuoluit. Vnde idem etiam in poena obriner, quod quoque nonnulli in definitione eius exprimere solent. Diximus vero consulto in definitione, poenam esse malum quod cum actione aliqua *qua libera spectata* connexum sit. Si ponas aliquem actionem quam







quod nihil aliud est, quam legatum connexum tanquam motiuum nolitionis cum futura actione aliqua onerati, de qua simpliciter disponere testator non poterat.

Maxime hucusque inter DD. controuersum fuit, quid sibi velint *legata poenae nomine relicta* quorum iure nostro mentio fit. Desudarunt in explicandis ipsis tam priscae scholae, quam recentiores interpretes. Potissimum eos ancipites reddidit, quod IVSTINIANVS ea olim illicita fuisse narret, cum tamen exempla eorum in ff. sibi deprehendere visi sint. Ante quam nos adcingamus ad recensendas impugnandasque aliorum sententias, rationes notionis a nobis suppeditatae dabimus breuissimas. Si euoluas §. f. *Instit. de legat.* IMPERATOREM hoc legatum definientem videbis per id quod *coercendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat.* Quam quidem definitionem procul dubio VLPIANO adceptam fert, qui *Fragm. XXIV. 17.* idem dicit, quod *coercendi heredis causa relinquitur, ut faciat quidem, aut non faciat, non ut legatum pertineat.* Vid. SCHVLTING. *Iurisprud. vet. ante-inst. p. 656.* De ultimis ICI verbis propriis infra ad §. 28. dicendi locus erit. Quod autem communia adinet, scil. *coercere heredem quo magis aliquid faciat aut non faciat*; illa nihil aliud significare possunt, quam obligare ipsum malo aliquo proposito ad aliquid faciendum vel non faciendum quod ipsi simpliciter imperari non poterat. Vnde etiam THEOPHILVS verba cit. §. phi reddidit: *ἔστι τιμωρίας χάριν καὶ ἐπιτιμωρίας τοῦ κληρονόμου ὅπως μᾶλλον ποιῆσῃ τὴν ἢ μὴ ποιῆσῃ, seu quod relinquitur loco poenae heredis ad aliquid faciendum vel non faciendum.* Nihil aliud igitur IMPERA-



PERATOR cum VLPIANO innuere videtur, quam legatum hoc esse, quod relinquitur seu heredi iniungitur obligandi ipsius causa malo, hoc connexo cum actione eius ad aliquid faciendum aut non faciendam, vel ut nos brevius expressimus, quod connexum cum actione aliqua onerati tamquam motiuum nolitionis eius, de qua simpliciter disponere testator non poterat. Evidentissime hoc probant casus quorum IMPERATOR tum VLPIANVS nobis suggerit. Si quis dixerit: *heres meus si filiam suam in matrimonium Titio collocauerit, vel ex diuerso, si non collocauerit, dato decem aureos*, vel ut VLPIANVS habet, *decem millia Scio*; dispositionem hanc legatum poenae nomine relictum continere IMPERATOR adserit. Sed equis non videt, nihil aliud hic fecisse testatorem, quam ut legatum connecteret cum futura aliqua actione heredis tamquam motiuum nolitionis eius quam simpliciter prohibere nequibat? Eadem illa notio altero etiam quem Imperator habet casu manifesto continetur, scilicet si quis scripserit: *heres meus si seruum Sticium alienauerit, vel ex diuerso, si non alienauerit, Titio decem aureos dato*. Sola haec exempla sufficerent ad veram horum legatorum notionem inde abstrahendam. Quapropter quum ad ea, quam dedimus, definitio optime applicari queat; ratio in aperto est, cur eam menti legum conformem esse adseramus. Adcedit ipsum vocabulum *legati poenae nomine relictum* nihil aliud innuere. Poena est malum connexum cum actione aliqua qua libera seu a potestate entis intelligentis pendente considerata (§. 25.). Poenae ergo nomine relictum legatum naturali ratione nihil aliud dici potest, quam quod testator connexuit cum actione aliqua onerati qua libera



bera spectata tamquam malum (§. 3.), seu tanquam motiuum aliquod nolitionis respectu eius quam sine hoc motiuo impudire non potuisset. Vnde etiam elegantissime THEOPHILVS occasionem et originem horum legatorum secundum nostram definitionem explicat. Testatores scilicet olim ab heredibus suis quid fieri iubebant, et modum quemdam viuendi ipsis praescribebant, et modum quemdam voluntates sine periculo et damno aliquo contemnebant. Quod cum testatores male haberet; pecuniariam quandam poenam excogitabant, per quam illi cogerentur ad id faciendum, quod alias fore non fecissent. Audiamus ipsum loquentem: *Ἐπιδοῖν* inquit, πολλοὶ τελευτῶντες προστάττον γίνεσθαι τιὰ παρὰ τῶν κληρονομῶν, καὶ βίαν αὐτοῖς ἐπιγράφον τροπον ἵνα, καθ' ὅν ἴδουσι αὐτοὺς πολιτεύεσθαι, ἵνα οἱ κληρονομοὶ τῶν τοιούτων καταφροῦν βουλῆσαν ἀζημίως, διὰ τοῦτο ἐλαχίστους εἰ ἀνδραποῖ καὶ ἀφρονοῖ μετὰ τὰ παράττων προστάττομεναι, λοιπὸν ἐπισηπται χρηματικὴν ποινὴν, δι' ἧς ἠναγκάζῃτο ὁ κληρονομος πράξει τι καὶ παρὰ σκοπόν. Nihil sane concinnius et magis ad rem faciens dici potuisset. Et apertissime haec quantius pretii verba veram esse nostram horum legatorum notionem ostendunt. Est interea adhuc aliud non minoris sane roboris argumentum, nihil scilicet nostra ex definitione, quod non cum ratione et reliqua iurisprudencia optime componi queat, inferendo posse deduci. Quod vero quum in sequentibus plena manu ostensuri simus; iam hic missum facimus, et remissive indicare satius duximus. Reliquum est, ut quae alii de hisce legatis federunt, sententias breuissimis examinemus. Et primo quidem AZO *ad l. un. C. de his quae poen. nom. scrib. vel relinq.* formam huius legati quaerit in expressione testatoris, ut si legaret addito *poenae causa*, legatum esset poenae nomine relictum, omisso vero eodem, conditionale.



tionale. Adduxit in eam rem *l. 2. ff. de his quae poen. caus. relinq.* cuius explicandae infra ad §. 28. occasio erit. Vnde cum, ut in sequentibus dicitur, olim legata poenae nomine relicta non valuerint; hoc duntaxat in eis obtinuisse sibi persuadet, in quibus expressum poenae causa, in aliis secus. Eandem sententiam amplexus videtur IOANNES verus ille glossator laudatus hoc nomine ACCURSIO ad §. ult. *Inst. de legat.* Sed indignam hanc esse iuris prudentia nostra explicationem, et verum ponere quod CICERO pro *Muraena* eidem exprobrauit, scilicet in formulis eam et verborum aucupii fuisse positam, quilibet oppido largietur. *Si res ipsa valeret vel non valeret ex sola conceptione verborum, ecquis testatorum adeo supinus esset, ut in specie proposita a verbis poenalibus non abstineret?* sunt verba τὸ πᾶν  
 CORN. van. BYNKERSCHOEK in *Opusc. de legat. poen. nom. relict. C. III.* Ut igitur dignitati artis nostrae consulatur, alio modo haec legata interpretari adgressi sunt alii. Non verba captanda, sed rem ipsam spectandam volunt. Si testator cum actione onerati legatum connexuit; distinguendum dicunt, virum intersit ipsius vel etiam heredis aut legatarii oneratum actionem hanc vel committere, vel omittere necne. Si prius; legatum poenae nomine relictum non dicunt, bene tamen posteriori casu, videlicet si testator nullam plane rationem legandi haberit praeter stolidam suam voluntatem vel odium onerati, seu si non nisi vexandi onerati causa legatum ipsi determinato modo iniunxerit. Praeiuisset iam in hanc sententiam Glossa ad *l. 2. ff. de his quae poen. caus. relinq.* quam sequitur CUIAC. *Comment. ad African. Tractat. V. ad l. 1. ff. et ad l. 2. C. i. cod.* atque hunc, quod solent, reliqui interpretes, vid. LAVTERB. *Colleg. Theoret. pract. tit. de his quae poenae causa relinq. §. 2.* Sed primo parum haec explicatio conuenit cum



iis, quae supra ex §. *ult. Instit. de leg.* et THEOPHILI paraphrasi adduximus, quae potius legatum poenae causis simpliciter adesse ostendunt, ubi testator indistincte legatum tamquam motuum nolitionis cum actione aliqua onerati connexit, de qua simpliciter ipsi disponere non licebat. Deinde nolo monere, quod fecit latissima laudatus BYNKERSHOEKIVS *l. c. III. et IV. in fine*, obsecrum esse quando in dato casu legatum poenae nomine relictum sit nec ne. Id tantum vergeo legata poenae nomine dari ex mente IMPERATORIS, ubi tamen quod heredi iniunctum vexandi animo, ut dicunt, plane iniunctum esse nequit. Quod vexandi animo alicui iniungo ita comparatum esse debet, ut hic illud faciat contra animi sententiam, non facturus si aliter licuisset. Ex quo immediate sequitur, ut hoc in se possibile contingens esse debeat. Tam vero IMPERATOR aperte docet, poenae nomine legatum connecti posse cum facto tam quod ipsum impossibile, et per consequens cuius contrarium necessarium, quam quod ipsum necessarium, et consequenter cuius contrarium impossibile est §. *ult. in fin. Instit. de legat.* Vnde noua quadam ratione mihi iure videor colligere meritissimo, notionem communem, quam de hoc legato sibi ferant DD. ut cum Logieis loquar, iusto esse angustiore. Perस्पexit, quae adlaras sententias premunt, incommoda acutissimus BYNKERSHOEK. Noua quadam incedendum via purauit *in cit. Opusc. de legat. poen. nom. relict.* Cum alii interpretes ducem IVSTINIANVM sequendum duxerint, hic audace sane consilio illum ipsum non magis quam TRIBONIANVM eius quid veteribus haec legata fuerint sciuisse cum ignarissimis contendit. Non adgnoscat poenae nomine legata, nisi quae cum actione onerati moraliter necessaria, tamquam motuum nolitionis eius connexa, sed



sed per quae testator oneratum ad actionem aliquam illicitam et probrosam determinare intendit. Rationes eius sunt primo textus AFRICANI in *l. 1. ff. de his, quae poenae causae, relinq.* Deinde quod VLPIANVS *l. c. cum TRIBONIANO cit. §. 2. Inst. de legat.* iure ff. ea inuisida fuisse testetur, quod duntaxat in his, quae sibi animo concepit, obtinuisse credit. Verum enim vero qui fieri potuit, ut Vir Amplissimus alias tam strenuus IVSTINIANI defensor eo usque audaciae progressus sit, ut illum ignorantiae in tam leui argumento aduersare non dubitauerit? Non diffidendum quidem est ipsum interdum quid humani passum, quod iam ante BYNKERSHOEKIUM dudum obseruarunt eruditi. Sed grauioribus sane argumentis ad illum inficitiae arguendum opus est, quam quae Noster in medium proferre potuit. Quae de dubitabunda eius locutione pariter ac THEOPHILI adfert, non serio sed animi causa ipsum adduxisse existimauerim. Non enim fugere eum potuit, non solos ICTOS, sed TRIBONIANVM etiam, cui stilus eorum familiaris, alibi eodem modo in argumentis certissimis se exprimeere, *vid. §. 25. Inst. de rerum diuis. ibique Theophilus.* Nonne supra vidimus optime cum IVSTINIANO consentientem VLPIANVM, adeo ut etiam casus ab utroque adlati tantum non iidem sint? Et quidni etiam hunc Vir Egregius in ius ambulare iussit, et reum eiusdem cum illo criminis fecit? Scio, ut VLPIANO bene sit, si que cum ipso facere videatur, casus ab eo exempli gratia adductos sua ex hypothesi ipsum explicare. Sed primo quid fiet de definitione eius iustinianae tantum non per omnia simili? Et deinde, quod p. ce. tanti Viri dixerim, maxime contortas, et ingenio quidem non vero iudicio BYNKERSHOEKII dignas has esse explicationes, qui eas legit et Virum nouit vltro largietur. Limites propositos dissertationis meae excederem, si per



singula eundo hoc commonstratum ire vellem, licet  
 haec difficili negotio fieri posset. Reliqua ipsi regeren-  
 da hic non occupabimus, quoniam mox de iis com-  
 modior agendi locus erit. Quod textum AFRICA-  
 NI adinet, de eo dicemus ad §. 33. Iure ff. legata  
 poenae nomine relicta etiam secundum nostram de-  
 finitionem inualida fuisse, contra textus a Viro Illu-  
 stri adlatos videbimus ad §. 30. Ipsum male haec  
 legata cum conditionis confundere, et frustra nul-  
 lam eorum differentiam agnoscere ostendemus ad  
 §. 29. Hoc vnicum monemus scil. quod ipse aliis  
 vitio vertit, nimirum sententias eorum cum ratio-  
 ne et iurisprudencia non posse componi, sed in op-  
 probrium artis nostrae vergere, id ipsum illum pre-  
 merc. Si enim, vt late defendit, legata haec demum  
 iure ff. fuere prohibita, et quidem primo ab AN-  
 TONINO PIO; non potest non ante haec tempo-  
 ra eadem licita praedicare, quod tamen, si notio eius  
 mente sedeat, maxime inconueniens dictu, et cele-  
 bri Romanorum *ιστορικη* indignissimam. Suffi-  
 ciant haec de veritate notionis quam de legatis poe-  
 nae nomine dedimus. Sicut haecenus vidimus testa-  
 rorem poenae causa posse legare; ita et alias eius  
 dispositiones poenae causa fieri non repugnat. Sic  
 habemus heredis institutionem poenae nomine fa-  
 ctam, quando testator e. g. institutionem coheredis  
 cum futura aliqua actione onerati connectit tamquam  
 motiuum nolitionis eius v. c. *Titius mihi heres esto,*  
*et si filiam suam Seio uxorem non dederit; Seius ei*  
*coheres esto.* Nam *ἀπαρξ*, inquit eleganter THEO-  
 PHILVS, *δοπιτὶ τὸν κληρονομὸν ἢ τὸν ἀγαθὸν δίδως, οὕτω*  
*καὶ τὸ λαβεῖν συγκληρονομὸν ζητεῖ αὐτὸν ἀφαιρέτως ἢ καὶ τὸ*  
*ἡμεῖς τὴν κληρονομίαν.* Pari ratione etiam ademptio le-  
 gati et translatio poenae causa fit, vt exemplis illu-  
 strat THEOPHILVS. Prius; si testator diceret:  
*Titio centum lego et si non studio iuris se dederit, centum*  
rum



*tum haec ipsi non lego. Posterius; si ita legaret: Titio mille aureos lego, et si non doctor factus fuerit, centum hos Sempromio lego.*

## §. 27.

Qui poenae nomine legat cum actione aliqua onerati] de qua libere disponere non poterat legatum connectit tamquam motium nolitionis eius (§. 26.). sam vero motium nolitionis obligationem negatiuam respectu determinatae actionis constituit (per princ. iur. nat.). *Legatum poenae nomine relictum ergo ex intentione legantis obligationem negatiuam ratione eius actionis cum qua connexum inuoluit.*

*Inuoluit obligationem negatiuam actionis connexae ex intentione legantis.*

*E]gr. testator nouit heredem suum post mortem suam nomen militiae daturum. Mauult vero ipsum ad studium iuris se adplicare, cui ipse se dedit. Quid ergo faciendum? Connectit cum priori actione legatum aliquod poenae nomine causa in modum: Heres meus si non studio iuris se dederit, Caio mille aureos dato. Quod legatum poenae hunc relictum ex intentione legantis negatiuam obligationem ratione alterius cuiuscumque vitae generis a studio iuris diuersi cum quo connexum inuoluit. De cetero quum legatum poenae causa negatiuam obligationem efficiat; facile est ad intelligendum, testatorem actionem cum qua idem connectit tamquam pendentem ex voluntate onerati considerare debere siue vere hoc iudice: siue minus. Vnde si tamquam a casu pendentem sibi repraesentet; legatum poenae causa locum non habet. Conf. quae diximus ad §. 25.*

## §. 28.

Omnis obligatio negatiua ratione determinatae actionis est adfirmatiua ratione contrariae (per princ. iur. nat.). *Quum ergo legatum poenae nomine relictum obligationem negatiuam ratione*

*Et adfirmatiuam contrariae.*



eius actionis cum qua connexum inuoluat (§. 27.); *adfirmatiuam obligationem ad contraria in ex mente testatoris complectitur.*

Sic e. gr. in casu ad §. praecedentem adlato testator per legatum mille aureorum Caio relicum heredem obligare intendit ad operam iurisprudentiae dandam, quod forte non fecisset, si ab ipso non fuisset legatum. Quod si cum euolutis his principiis, quae Philosophi de intentione primaria et secundaria tradunt, conferre placeat; in legato poenae nomine testatorem primario intendere existentiam contrarii eius actionis qua cum legatum connexit, et praestationem ipsius legati secundo tantum, seu si finis primarius obtineri non possit, hauri difficilem comprehendens. Vnde lucem adiciunt postrema verba VLPIANI in definitione eius *non ut legatum pertineat*. Nihil sane ICTUS iis verbis ostendere conatur quam intentionem primariam testatoris in tali legato, quippe quae *non est ut legatum pertineat* scilicet ad honoratum, sed ut mediante eo animus onerari spectetur ad contrarium eius, cum quo connexum. Neutiquam igitur textus VLPIANI in mendo cubare dicendus est, et hinc cum bene se habeat, violentis emendationibus SCVLTINGII, BYNKERSHOEKII aliorumque, quas adlegare operae pretium non est, tuto carere possumus. Quare si testator legatum aliquod cum actione heredis, quam ipsum fortasse editurum speraret, non ea intentione coniungeret, ut hoc ipso existentiam eius impediret; legatum poenae causa dici non possit. Ponamus e. gr. me filium habere qui nuptias diuitis cuiusdam virginis Caiac ambiret, et si placet, cum ea iam sponsalia celebrasset. Ponamus porro me sororem Titiam, cui curata suppellex, adhuc habere superstitem. Iam spe-

ro



ro filium meum cum virgine matrimonium inirurum, et hoc facto ipsum existimo fore praestando egenae huic certam summam annuam alimentorum nomine. Quod si igitur in testamento ita dispono: *Filius meus heres esto, et si Caiam duxerit, Titiae quinquaginta aureos quotannis dato; me poenae nominiae legasse adferi nequit. Potius simpliciter forori meae legatum aliquod reliqui sub conditione aliqua, cuius existentiam legato relicto impedire non fuit animus. Quibus praemissis non difficilis est intellectus, quod MARCIANVS tradit l. 2. ff. de his quae poen. caus. relinq. ubi poenam, inquit, a conditione voluntas testatoris separat, et an poena an conditio an translatio sit ex voluntate defuncti adparet. Illustris BYNKERSHOEK l. c. l. C. III. textum hunc vagum, et ex tripode Apollinis potius, quam ex scibola Ictorum profectum dicit, et in sequente c. IV. illum ita explicat, ut in casu dubio ex circumstantiis diiudicandum sit, vtrum quod testator legati adiectione onerato iniungit moraliter possibile sit, an illicitum, et probrosum; sed ex hypothesi, et contra regulas interpretationis. Non enim ex qualitate actionis seu facti, sed ex voluntate seu intentione defuncti aestimandum vult ICTUS, vtrum conditio sit sc. simpliciter talis, seu cuius existentiam non impedire conatur, an poena. Egregie hanc in rem differentem videas Magnum CVIACIVM Comment. ad Afric. Tract. V. ad l. 1. ff. eod. Verba eius sunt: An igitur inutile semper est legatum illud, heres meus si Titio filiam suam in matrimonium collocaverit, Caio decem dato? Minime. Nam possunt ea verba adicipi pro conditione hoc modo, si euenerit quandocumque ut Titio filiam in matrimonium collocet, et tunc vile est legatum. Sed si mens haec fuit testatoris, ut Titio heres filiam suam in matrimonium collocaret, ut coereretur praestatione legati, inutile est legatum. Et ita legatum quod*



quod in alterius arbitrium confertur inutiliter et vulgo dicitur, utiliter confertur quasi conditio l. 1. ff. de leg. II. Et hic igitur multum interest conditionem facere an poenam heredi infligere testator voluerit. *Conditio enim valet, poena non valet.* Si dicta conferre libuerit cum §. 26. clariora euadent quae in euolutione notionis legati poenae causa adtulimus.

## §. 29.

Quo sensu  
conditionatum?

Quod poenae nomine relinquitur legatum conditionatum est, relictum scil. sub conditione onerato adscripta. Quod enim poenae nomine relinquitur legatum connexum est cum actione aliqua onerati tamquam futura spectata (§. 26.). Quapropter existentia eius ex voluntate testatoris ab existentia futurae huius actionis dependet. Sed legatum, cuius existentia ab existentia euentus cuiusdam tamquam futuri spectati dependet conditionatum dicunt (§. 18.). Est igitur quod poenae nomine relinquitur legatum conditionatum. Cum vero conditio a qua suspenditur ab onerato implenda sit (§. 26.); eidem adscripta dicenda est (§. 10.). Vnde patet, quod poenae nomine relinquitur legatum esse conditionatum relictum scil. sub conditione onerato adscripta.

E. gr Si testator diceret: *Heres meus si a patria discesserit, Titio mille dato;* legatum hoc poenae nomine relictum conditionatum est. Suspenditur nimirum praestatio eius ab euentu aliquo incerto. Et quum euentus hic ab herede existens reddi debeat; conditionatum est sub conditione onerato adscripta. Legata haec conditionata esse, obseruat etiam SCHILT. *Exercit. XXXIX §. 119.* Sed dum differentiam eorum ab aliis conditionatis explicare vult, paullo obscurius loquitur. Nos hic satis distincte habitum eorum



eorum ad conditionata in genere determinasse speciem. Videlicet se habent ad ea, ut idea inferior ad suam superiorem. Et quum tales ideae non perfectae eadem vel reciprocae sint; idem etiam hic probe notandum. Potest enim quidem affirmari omnia legata poenae causa esse conditionata, sed non contra, omnia conditionata esse poenae nomine relicta, cum genus quidem quippe totae speciei extensioni conueniens vniuersaliter de ea praedicari possit, non vero contra. Licet igitur semper ruto inferre liceat, de legis poenae causa valere quae de conditionatis in genere, et in specie de iis valent, quae conditionem habent onerato adscriptam; non tamen contra argumentari datur ab hisce legis ad illa. Non satis hoc perspexisse video acutissimum BYNKERSHOEKIVM in saepe citato libello, id quod etiam potissimum ipsum fecerit videtur. Cuius quidem rei argumento est primo, quod C. III. communem notionem eam ob causam reiiciendam arbitretur, quod alias inter legata conditionata, et poenae nomine relicta nihil amplius superesset discriminis. Et deinde, quod non semel a legis conditionatis quae conditionem inuoluunt honorato adscriptam ad legata poenae causa argumentetur, contra regulas logicas, quae a specie ad speciem oppositam consequentiam non valere docent. Sic inter alias probaturus in fine, C. III. quae vulgo poenae nomine legata dicuntur valuisse tempore ff. neque ideo hoc nomine venire posse, prouocat ad l. 7. pr. et l. 11. §. 1. ff. de cond. et demonstr. vbi oppido non de conditione onerato sed honorato adscripta sermo est. Teneamus igitur quod demonstrauius legata poenae causa speciem esse conditionatorum in quibus conditio onerato adscripta. Sic opinor satis semper inter ea supererit discriminis, neque unquam di-

F

uerfo.



uerforum confusio merenda quam foecundum fit hoc principium quae sequuntur luculenter ostendent.

## §. 30.

*Continet liberationem sub conditione contraria.*

Legatum sub conditione onerato adscripta relictum legatum liberationis ab obligatione praestandi sub contraria conditione continet (§. 18.). Vnde quum legatum poenae nomine relictum conditionem onerato adscriptam inuoluat (§. praec.); idem etiam legatum liberationis contrariae sub contraria conditione complectitur.

Dum enim testator poenae nomine legat, onus legati cum actione quam omitti vult connectit. Adeoque commodum liberationis ab obligatione illud praestandi cum contraria quam intendit, vt sc. oneratus hoc adductus satis voluntati eius facere eligat, Conf. quae diximus ad §. 28. Haecenus de natura legatorum poenae nomine relictorum. Proximum iam est, vt qua fieri potest breuitate adhuc de validitate eorum agamus. Et olim quidem hoc genus legatorum inuolidum fuisse nos docet TRIBONIANVS §. fin. *Inst. de legat. vbi poenae quoque nomine, inquit, inutiliter antea legabatur et admebatur et trans ferebatur.* Deficit quidem vox antea in quibusdam editionibus, sicut nec THEOPHILVS id habet. Attamen ipsam vel similem saltem adesse textus *con-* *spici* manifesto requirit. Num autem hoc antea ad ius ff. pertineat, an ad ius illo antiquius, non inter interpretes conuenit. Posterius adfirmant BARTOLUS ad l. i. ff. de his, quae poen. caus. relinquit. FABER ad §. f. *Inst. de legat.* BALDUIN. eod. alique citari a BYNKERHOEK. l. c. C. II. Sed prius cum ACCURSIO plurimi adferunt, quorum sententia verior videtur. Prima ratio est testimonium IVL. CAPITOL. qui de IMPERATORE ANTONINO PIO in vita eius C. VIII. ita scribit: *Hereditates eorum qui filios habeant repudiauit.*  
Primus



Primus constituit ne poenae causa relictum legatum maneret. Simile habetur in vita Aelii Heluii Sortinae C. VII. Cui quidem, cum fori nostri homo non sit, si fidem habere nolis; testis secundus est locupletissimus VLPIANVS, qui *Fragm. XXIV. 17.* ait: poenae causa legari non potest, et *Fragm. XXV. 13.* idem de fideicommissis tradit; poenae causa certae vel incertae personae ne quidem fideicommissa dari possunt. Adcedit tertio auctoritas MARCIANI qui libro VI. *Inst.* in hanc rem rescriptum SEVERI et ANTONINI laudat, *vid. l. 2. ff. de his quae poen. caus. relinq.* Opponunt dissentientes leges ff. quae eo iure legata poenae nomine relicta probent. Prouocant hunc in finem ad *l. 1. ff. de pen. leg. l. 1. §. 8. ff. ad leg. falcid. l. 19. pr. §. 1. l. 24. ff. quando dies leg. ced. l. 6. l. 27. ff. de condit. et demonstr.* Verum si paullo attentiori cura textus hos perlustraueris; quae sententiam nostram euertant profecto non inuenies. Quod ad quatuor priores adinet, quo iure huc trahi queant plane non video. Iuris Conditiones VLPIANVS libro XXIV. ad Sabinum, IVLIANVS libr. LXX. *Digestorum*, et PAVLLVS libro singulari ad legem falcidiam, et libro VI. ad legem iul. et pap. quaestionem tractant, si testator alicui ab herede legasset penum, et si ille hunc vel plane non vel non intra determinatum tempus praestiterit certam pecuniae summam, quid tunc obtineat? Disquirunt utrum tale legatum sit duplex an simplex, et si posterius, num penoris an pecuniae, de quo pluribus *Basilica Lib. XLII. c. 4.* Sed quid quaeso hoc ad legatum poenae nomine relictum? Num poenae nomine relictum dici potest, quod testator onerato permittit tamquam medium se liberandi ab obligatione, cui alias absolute parere necesse fuisset? Nonne testator heredi simpliciter imperare potuisset actionem hanc, cum qua legatum pecuniae



nae connexit seu penus praestationem? Et nonne beneficio ipsum adicit dum liberum hoc ipsi relinquit, modo loco eius aliud praestet? Nihil sane video si legata, de quibus in citatis textibus sermo, non toto coelo a poenae causa relictis differunt (§. 26.). Vnde maximo etiam miror opere, subtilem BYNKERSHOEKIVM hoc non perspexisse dum *l. c. III.* textus hos pro adstruenda sententia sua adduxerit. Quod vero duas posteriores leges concernit; tractant casum si monumentum sibi exstruere testator iusserit ea lege, ut si non factum, certa summa praestetur, ubi valere legatum velle videntur. POMPONIVS *lib. III. ad Sabin.* et ALFENVUS *VARVS lib. V. Digestorum.* Quod quamvis legatum poenae causa esse concedam; singulare tamen hic favore religionis receptum optime observat Princeps ICIORUM CVIACIVS *cit. Comm. ad Africanum Tract. V. ad l. i. ff. de his quae poenae causa in fine.* Favore religionis plura *avaritia* iuris contraria non raro introducta infinita loca ostendunt. Sufficit prouocasse ad testimonium PAPIANIANI, qui *l. 43. ff. de religiof. et sanct. fun.* diserte docet, *ob ipsum strictam rationem insuper habendam, et summam esse rationem, quae pro religione faciat.* Vnde etiam in veteribus titulis monumentorum frequenter heres, qui in funere aut monumento faciendo vel ruendo voluntati testatoris non obtemperavit, iubeatur aerario populi Romani aut collegio vel arcae pontificum certam inferre summam, vid. CVIAC. *l. c.* Manet itaque quod diximus iure ff. legata poenae causa non valuisse. Interim anceps adhuc quaestio est, utrum verum sit, quod habet IVL. CAPITOLINVS *l. c.* scilicet ANTONINVM illa *primum* reprobasse. Negare quidem non potest IMPERATOREM de eo constituisse; at id non primum ab eo esse factum vel inde simile vero quod SABI-



SABINVS qui sub TIBERIO floruit, de eo iure respondisse narretur *§. vlt. Inst. de legat. vid. SCHULTING. iurisprud. vet. ante iustinianca p. 656.* nisi forte dissentium sectarum in hac re rescripto ipsum decidisse dixeris. Ratio cur olim haec legata inualida fuerint a THEOPHILO *ad §. cit. Inst.* duplex adfertur. Altera est, quod posita fuerit in arbitrio heredis, quod non procedere putat, et altera, quod non ex beneuolentia seu amicitia erga legatarium proficiscantur, quod necessarium arbitrarur.

Οὐκ ἔσονται, Inquit, τούτο τὸ ληγάτον διὰ δύο λόγους: πρῶτον μὲν, ἐτι μὲν οὐ νόμος τὸ ληγάτον τὸ ἐν τῇ γνώμῃ ἀποκείμενον τοῦ κληρονομοῦ, ἐνταῦθα δὲ ἐν αὐτῷ ἴσῃ ἐπαφίλοισι, καὶ μὴ ἐπαφίλοισι· εἰ μὲν γὰρ πληρώσει τὰ ὑπὸ τοῦ τελευταίου ἐπιμένονα, εὐδὴ καταβάξῃ εἰ δὲ ἐναντιωθῆ, ἐνεργὸς τῷ ληγατοῦ γένεστος ἐπι δεῖ τὰ ληγάτα ἐνοία καὶ φίλα· τὴ περὶ τὸν ληγατέριον καταλιμπάνει, οὐ μίσει τοῦ κληρονομοῦ. Sed primam rationem sublestat esse contra HOTOMANNVM *ad §. vlt. Inst. de legat.* dudum obseruarunt eruditi. Verum quidem est vltimam voluntatem leges nostras, καθόλου conferri nolle in arbitrium alterius *l. 32. ff. de hered. Inst.* Non tamen reprobantur idem fieri κατὰ τι seu per conditionem potestariam tertio adscriptam *l. 68. ff. eod. l. 52. ff. de cond. et demonst.* quod in tali legato fit (*§. 29.*). Alteram CUIACIVS in primis vrget *ad l. vn. C. de his quae poenae nom. scrib. vel relinq. et Tract. V. ad African. l. c.* quem ducem sequuntur reliqui. Quidquid eius sit; testatores romani hereditibus suis non raro multa imperabant, stolidi ducti voluntate in primis in rebus ad hereditatem non pertinentibus, in quibus de actionibus heredum simpliciter disponere non poterant. Exemplum addere iuvat quod ex GOTHOFREDO *ad §. f. Inst. de legat.* descriperunt interpretes, quodque ille adlegat ex HORA T. *Serm. lib. II. 3. 84. seqq.* ubi hic testamentum auarissimi cuiusdam STABERI exagitat.

F 3

Heredes



*Heredes Staberi summam incidere sepulcro;  
Ni sic fecissent gladiatorum dare centum  
Damnati populo paria, atque epulum arbitrio Arri  
Frumenti quantum metit Africa.*

Non immerito ergo Icti veteres disputabant, vtrum legata valere possent, per quae testator heredem ad aliquid obligare intendebat, quod non potuerat ipsi alias imperare. Sententiam SABINI supra iam vidimus. Et postquam ANTONINVS PIVS haec legata per rescriptum reprobaret; iure ff. in genere inualida erant. Tandem IMPERATOR noster, cui haec scrupulositas non placebat constitutione sua, quae habetur l. vn. C. de his quae poen. nom. scrib. haec legata ad *avrotylav* iurisprudenciae Romanae reduxit admittendo ea exceptis quibusdam casibus, quod in sequentibus adhuc breuiter ex praefractis; nobis principis euoluemus.

## §. 31.

*Non valet si conditio phy-* *Si conditio legati poenae nomine relicti physice impossibilis sit; legatum nullum est.* Si enim conditio physice impossibilis sit; legatum est relictum sub conditione impossibili physice tali onerato adscripta (§. 29.) Sed eiusmodi legatum nullum est (§. 10.); Ergo etiam legatum poenae nomine sub tali conditione relictum.

E. gr. si testator diceret: *Caius si Salam ebiberit vel non cibum ore sumserit Titio centum dare damnas esto;* legatum hoc poenae causa nullum est. Per se enim patet, Caium nunquam id facturum a quo existentia legati penderet. Idem hoc theorema etiam consequitur ex l. vn. C. de his quae poen. nom. scrib. Superuacuum scilicet veterum legum obseruationem per quam testatorum voluntates ad effectum ducti impellebantur, amputans Imperator praecipit, vt liceret testanti pro implenda sua voluntate vel pecunias dari praecipere vel aliam pecuniarum poenam inferre. *Si autem*, inquit, *aliquid facere vel legibus interdictum vel aliis prohibentem vel etiam impossibile iussus aliquis eorum fuerit, tunc sine villo damno etiam neglecto testatoris praeecepto seruetur.* Nam si testator poenae nomine legat sub conditione impossibili physice tali; oneratum contrarium eius sub poena determinata iniungit (§. 28.). Quod cum possibile necessarium sit (§. 19.); non impossibile quid facere iussus est. Si vero quod iussus est impossibile non est; dispositio valet per c. l. vn. Ergo etiam dispositio haec in legato contenta, sed ex ea naturaliter legatum nunquam praefacti potest. Ergo nec unquam praefactum, adeoque nullum est.

## §. 32.



## §. 32.

*Si conditio eius quod poenae nomine relinquatur morali- Bene tamen  
liter impossibilis sit; legatum valet.* Nam si conditio morali- *si moraliter  
ter impossibilis sit; legatum relicum est sub conditione  
moraliter impossibili onerato adscripta (§. 29.).* Atqui  
eius generis legatum subsistit (§. 24.); Ergo etiam quod  
poenae nomine sub eadem conditione relicum est.

E. gr. si testator diceret, *Sempronius heres si Titium verberauerit  
Caio mille dato;* dubidantum non est, poenam hanc subsistere  
et Sempronium si voluntatem hanc testatoris violauerit mille  
Caio soluere debere. *Conditio liberationis moraliter est ne-  
cessaria (§. 19.).* Et cum sub ea valeat (§. 17.); non nisi ea  
existente locum habere potest. Optime etiam demonstratum  
conuenit cum dispositione IVSTINIANI ad §. praecedentem ad-  
ducta. Nam testator per poenae causa legatum oneratum ad  
contrarium actionis qua cum poena connexa obligat (§. 28.)  
Quod cum hoc casu moraliter possibile necessarium sit (§. 19.);  
nihil legibus interdictum vel alias probrosum oneratus iussus est  
facere. Sed tum valet testatoris voluntas per c. l. vii. Ergo etiam  
in casu praesenti.

## §. 33.

*Si conditio poenae nomine legati possibilis simpliciter ne- Quid si possi-  
cessaria sit; legatum inutile est.* Si enim conditio eius quod *bilis necessa-  
poenae nomine legatur possibilis simpliciter necessaria sit; via?*  
legatum relicum est sub eius generis conditione onerato  
adscripta (§. 29.). Quum vero tale legatum vitietur (§. 23.)  
legatum etiam poenae nomine relicum sub conditione  
possibili simpliciter necessaria inutile est.

Ponamus v. c. testatorem dixisse; *Titius heres si turrim rubram  
in foro halensi postquam saluo non exasperauerit aut si non vi-  
cinum meum occiderit, Mevio mille dare damnus esto.* Lega-  
tum poenae nomine relicum inutile est. Conditionem  
legati necessariam conditionem liberationis impossibilem  
efficere supra ostendimus (§. 19.). Quum vero condi-  
tio simpliciter impossibilis detrahatur in fauorem eius, cui ad-  
scripta (§. 13.), palam est liberationem onerato absolute  
competere debere neque a conditione suspensam videri. Non per-  
nit hoc BACHOV *vol. 2 D 13. th. 6. lit. C. vbi ob §. 10. I.  
de hered. inst. l. 104. §. 1. ff. de leg. i. l. 6. §. 1. ff. de cond.  
et demonst. detrahendam quidem conditionem verum in  
honorati non onerati fauorem existimat; sed cit. LL. de  
condit. onibus impossibilibus honorato adscriptis manifesto  
agnat, unde etiam ipse in alla omnia iuit ad §. vlt. inst. de  
legat.*



*legat.* Si testator sub tali conditione poenae nomine legat; oneratum ad legibus interdicta et probrosam *moderata* obligare intendit (§. 28. 19). Quo casu cum ipse contra leges agat, FLAVIVS noster merito oneratum *sine ulla damno* voluntatem testatoris negligere voluit. *c. l. vn.* Idem etiam adfirmare videtur AFRICANVS l. i. ff. *de his quae poen. caus. relinq.* Filio familias, inquit, vel seruo herede instituto etiam si in patris dominiae poenam ILLICITE vel PROBROSE datum est nullius momenti legatum esse respondit. Non enim id solum quod in heredis sed omne quod in cuiusque iurum aliquid ex ultima voluntate sentientis TALEM poenam in testamento scriptum sit nullius momenti habendum. Textum hunc BYNKERSHOEKIVS TRIBONIANO obicit inuentione huius iuris IVSTINIANO suo vindicanti. Pespexerunt hoc dubium iam alii, unde varie de expl. canda hac lege solliciti fuerunt. Glossa *et illicite et probrosam* ea ex ratione inserta dicit, quod de legato poenae nomine agatur quippe quod, quoniam contra leges, illicitum esset. Sed sic verba sequentia AFRICANI nullius momenti legatum esse *tautozostas* inuolueri recte Laudatus monuit. Quare procul dubio manum TRIBONIANI hic agnoscere debemus qui legato poenae nomine quod noui iuris est in veteres leges transcripto AFRICANI personam induit EGVIN. BARO ad §. *ult. inst. de legat.* CUIAC. ad *Ulpianum XXIV. 17.* quod et alias non raro facile ipsam WISSENBACHIVS ostendit, nisi etiam in lege praesente verba ICI non exclusiue intelligenda malis.

## §. 34.

*Quid tandem  
si possibilis  
contingens.*

*Si tandem relicti poenae nomine conditio possibilis contingens sit; legatum subsistit.* Nam legatum sub conditione possibili contingente onerato adscripta relictum valet nec vitatur (§. 24.). Quare quum legatum poenae nomine sub conditione onerato adscripta relictam sit (§. 29.); idem etiam non potest non subsistere, si conditio eius possibilis fuerit.

Est hoc ius nouum quod IVSTINIANO debemus *c. l. vn. C. de his quae poenae nomine scrib. vel relinq.* cum olim illicita fuisse viderimus ad §. 30. Quae etiam ratio est, cur cum casus conditionum in ff. frequentissimi sint, praeter supra notatos nullos inueniamus conditionum onerato adscriptarum. Multa scio adhuc superesse dicenda, si pro dignitate hoc argumentum pertractare vellem. Sed angulli dissertationis limites ut colophonem hic eidem imponam postulant. Quare missis his filum orationis abrumpo; et tractationis meae hic facio.

F I N E M.



VIRO  
SUMME REVERENDO AMPLISSIMO  
ET DOCTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTOPHORO  
FRIDERICO  
LOCCENIO,

ECCLESIAE STARGARDIENSIS IN MEGAPOLI  
PASTORI MERITISSIMO, SYNODIQUE EIVSDEM  
PRAEPOSITO GRAVISSIMO

PARENTI SVO INDVLGENTISSIMO  
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

DIEI IPSIVS NATALIS CELEBRANDI CAVSSA  
ELABORATAS,

SACRAS ESSE VULT

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS

ADOLPHVS FRIDERICVS  
LOCCENIVS.







VIRO  
PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO  
CHRISTOPHORO FRIDERICO  
LOCCENIO,  
PRAEPOSITO STARGARDIENSI LONGE GRAVISSIMO

S. P. D.

GVSTAVVS BERNHARDVS  
BECMANNVS,  
PRAESES.

**Q**uod diu multumque optavi, ut publice TE compellan-  
di, animumque meum TIBI addictissimum profiten-  
di commoda detur occasio, hodierna mihi luce con-  
tingere in sinu gaudeo. Etenim commisisti fiduciae meae at-  
que institutioni, qui singularis TVVS in me fauor est, filium  
unicum, cuius insignem discendi ardorem, assiduamque  
diligentiam ac denique hisce felici fato iunctas animi dotes  
rarissimas indies magis magisque suspicio. Vix enim almae  
G 2 nostrae



nostrae Fridericianae nomen dederat, quum iam totus in eo  
esset, ut eis se manciparet disciplinis, quae ad intimio-  
rem iuris, cui misso studio theologico se tradiderat, scien-  
tiam faciunt. Hunc in finem, quum optime intelligeret,  
quantus in omni scientiarum genere genuinae cogitandi artis  
sit usus, nullus dubitauit interesse praelectionibus logicis fra-  
tris mei, cuius praeceptorum applicationem quum mathesis  
evidentissime sistere ipsum non fugeret, et huius disciplinae  
sacris se mihi iniungendum tradidit. Neque tamen vni-  
hiscie disciplinis sibi immorandum duxit, quas defaecare sal-  
tium animum, adque iuris intelligentiam aptum reddere cer-  
tum est; Sed quum iis iam per sat longum tempus, quo sa-  
cris litteris operam dederat, simul incubuerit, qua solet di-  
ligentia, quae est summa; ipsemet praelectionibus meis iu-  
risprudentiae vniuersalis et positivae interesse non temere  
optauit, quibus ad solidam iuris scientiam via sternitur. Ni-  
hil do adfectui, nihil adulatrici amicitiae, si ipsum  
diligentissimorum auditorum classi adscribo. Neque  
enim tantum praelectionibus ipsis non interrupta serie ope-  
ram dandum sibi putauit, sed quum optime calleret docentem  
saltim id agere, ut qua via sit incedendum commonstret, quae-  
que imbibenda principia illustret; id suarum partium esse  
probe intellexit ut quae in collegiis erant tradita, repetiti-  
one meditationeque propria in succum verteret, quod aiunt,  
et sanguinem. Testis ego sum huius facti oculatus, cui hac  
quidem in causa hoc certius fidem adhibere licet, quo saepi-  
us eius diligentiae capere experimentum potui. Quum enim  
eodem mecum tecto viatur; quoties me conuenit, conuenit  
vero quotidie aduersperascente minimum die, finitis meis la-  
boribus ordinariis, id semper dedit operam, ut quae forsitan  
non



non rite perspexerit, explanarem ipsi, quaeque memoria exciderant, suggererem. Hic tam rarus ipsius tam iniustitatus discendi ardor iam tum me suspicari iubebat ipsum aliquid egregii moliri facinoris, neque vanum me augurem existisse exitu, quod eram suspicatus, comprobante, non sine insigni intellexi laetitia, quum mihi offerret specimen aliquod academicum, fructum suorum laborum et diligentiae testem locupletissimum. Thema enim quod distincte enucleandum sibi sumsit, eius est commatis, ut paullo penitiorum, quam quae vulgo est, eius tractatio solida poscat iuris Romani et philosophiae notitiam. Id vero sic ex incis principiis evolutum fuit, ut quod adderem fere nihil fuerit, si a dissensu ICtro- rum notato eorumque refutatione hinc inde in scholiis obuia discesse- ris. Et quod maximi facio, usus est in conscribendo hocce specime methode synthetica, quae probatur cordatioribus, quae mihi hucusque sollemnis fuit in arte nostra ad principia sua reuocanda, quae denique non odium habet nisi eorum, quibus, quid sit sublime, quid  $\tau\theta\sigma\tau\omega$  in scientiis perspicere non datum est. Non igitur est, cur TE poeniteat cepti consilii, ex quo ipsum themidos cultoribus adscribendum curasti, ut ut egregios ipsius in sacris litteris profectus non ignorares. Neque enim, quod optime nosse, inimicis inter se cornibus pugnant scientia de Deo, et ars aequi bonique. Tantum abest, ut quo quisque minus principiis Christianae religionis et quod ad theoriam sit instructus, quod ad praxim vero vitam suam adcommode, eo meliorem profiteri posset ICtrum, quod maleuoli insipide crepant, ut potius hae ambae disciplinae amicas iungant manus, vicariamque altera alterius poscat operam, quod vel ex solo liquet iure ecclesiastico neque huius est loci est per exempla enndo multis docere.



*cere. Non vero tantum diligentiae suae hoc specimen deberi putabis. Est simul testimonium debitae TIBI pietatis. Diem enim TVVM natalem, quem feliciter hodie illuxisse, qua filium decet, pietate laetatur, non melius se celebraturum credidit, quam si publice pro cathedra egregie staret, seque tanto parente dignum ostenderet. Permittas igitur, quaeso, ut et mea ipsius iungam gaudia vstaque, DEV M T. O. M. sincera mente contestatus, ut TE diutissime servare velit saluum et incolumem, huncque diem saepius TIBI redire iubeat, quo fructus ex huius filii diligentia certo futuros, vix enim sperandos dixero, percipere possis longe praestantissimos. De cetero, quod facis, mihi favere perge, certus me quae TE velle, quaeque ad TE pertinere putabo, curaturum semper esse diligentissime. Vale. Dabam e museo Halae propter salam d.  $\frac{17}{8}$  Oct. 1748.*

PRAE.



PRAENOBILISSIMO  
DOMINO AVCTORI

S. P. D.

GEORG ADAM  
COMES a SCHLIEBEN  
OPPON.

**O**mnēs artes quae ad humanitatem pertinent habent commune quoddam vinculum ac velut cognatione quadam inter se continentur, quod ipse iam Tullius monuit. Non igitur inanem operam impendit, qui iuris cultor esse cupit, si ante quam huic studio se totum tradit, principis theologicis se tingendum curat. Est igitur cur TE merito laudem, Iuuenis doctissime, qui hanc calcasti viam. Neque apostasiae studiorum, si quid est vel esse potest criminis, iure redargui poteris, qui eum in finem huic diuinæ scientiæ mibi studuisse videris, ut olim profiteri possis ICrum omnibus suis absolutum numeris. Id ipsum est, quod non spero, sed confido certo futurum; Et qui dubitare possim, quum TE iam per semestre tempus tam egregios fecisse profectus videam specimine hoc TVO academico, solide et accurate conscripto, ut eius nec veteranum pudere possit. Seruet igitur TE summus rerum arbiter saluum, seruet incolumem, quo litteris et aliorum commodo eruditione TVA indefesso studio parta diu sis inferuendo; De cetero TVI me semper habebis aman-  
tissimum. Vale. Halae Magdeburgicæ d. 17. Oct. 1748.

VIRO



VIRO  
NOBILISSIMO DOCTISSIMO  
DOMINO  
CANDIDATO,  
S. P. D.  
CAROLVS GVILIELMVS  
MAVRITIVS de BODE,  
PRINCIPIS NASSOVIAE CONSILIARIVS  
AVLIAE ET REGIMINIS DESIGNATVS,  
OPPONENS.

*Vix satis laudarem patriam TVAM, si omnes, quos ea genuit, enumerarem eruditos, TE uno praetermisso. Sunt enim TVA sidera, quae ipsi ingentem praedicunt salutem et gloriam. Sunt eadem, quibus alma nostra egregium debet eruditionis specimen, quod omnes mirantur. Sunt ea quorum debitor totius rei litterariae orbis certissimo futurus videtur. Sunt ea, quibus et ego muneris hodierni honorem debeo. Maximus TIBI easque immortales gratias reddo, quod tanti facinoris socium me, licet eo indignum, eligere haud dedignatus sis. Gratulor TIBI ex animo. Quaecunque felicia apprecor, meque aeternum benevolentiae TVAE commendo, qui semper TVVS ero ut quos tectum iunxit et amicitia iunctos teneat. Dabam Halae Hermundurorum die Octobris XVII. Anno M. DCC. XXXXVIII.*

VIRO



VIRO PRAENOBILISSIMO,  
DOCTISSIMO  
AMICO EXOPTATISSIMO  
ADOLPHO FRIDERICO  
LOCCENIO,  
S. D.  
CAROL. LVD. a KLINGGRAEF.  
EQV. MEGAP.  
OPPON.

Summo gaudio sensi supersundi, quum eum TE locum, Amice  
honoratissime, conscendere velle, intelligerem, quem mini-  
mum non nisi in musarum sinu enutritos, vera ac solida eruditio-  
ne excellentes decet occupare. Ex quo enim tam felici mihi esse  
licuit, ut amicorum me Tuorum numero insereres, nulla est dies  
praeterlapsa, qua non noua ac eximia tum praeclari TVI in-  
genit, cum indolis TVAE egregiae signa miratus fuerim. Qua  
diligentia ac animi constantia omnia euitasti ac repulisti, quae  
assiduitatem TVAM, quae summa est in iuris addiscenda discipli-  
na turbare potuissent. Nescio autem quid in TE magis admi-  
rer,

H

rer,



rer, an indefessum ac pene incredibile studium quo in iuris scientiam incumbis, an aequitatem, qua de ceteris scientiarum generibus et inprimis elegantiori doctrina sententiam fers, eo magis, quod multi in hoc iniqui, gloriam quodammodo magna ac solida iurium cognitione adquisitam, diminuere videantur. Gratiam sac haec scribenti mirum sibi in modum placenti, de TE quidquam atque singularibus TVIS animi ac naturae dotibus cogitanti, dicenti, aut scribenti. Dissertatio TVA pereleganter et philosophice scripta omnia a me dicta longaque plura testatur et digna illius TE autore defensio TVA confirmabit, quae talia patriae Tuisque floris instar offerendo, quae in plurimis maturos fructus indicant, spem de TE suam iam maximam, si fieri potest iubent augere. Quare macte virtute TVA! Macte generoso hoc animi tui impetu! Faxit Numen O. M. TE olim reducem patriam TVAM Tuosque diligentiae TVAE, assiduitatisque uberes fructus percipere, Teque constanti ac TE digna perpetuo fortuna gaudere. Vale. Dabam Halae ad salam IV iduum Octobr. MDCCXLIIX.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO

nec non

DOCTISSIMO

Amico suo

RESPONDENTI

INTEGERRIMO,

S. P. D.

S. I. E. ROERACKER.

L. L. C.

**P**rimo quidem iam a flore iuventutis unius castra Apollinis secutus es; sed perbreue modo, quo apud animum alii TE musarum generi addicere constituisti, praeterlapsum est spatium. Praeterito breui tempore ex instituto studebas, vt aliquando sacrae euadas artis Antistes. Nunc vero Iurisprudentiam ad imbibendam ex omnibus TE comparas viribus. Et quosdam ducente TVO GRAVISSIMO PRAESIDE in necessaria ac praestantissima hac doctrina addiscenda magnos feceris progressus, satis haec disputatio methodo synthetica conscripta confirmat. TIBI igitur hisce paucis de hoc tanto TVAE iuris scientiae prudentiae que specimine gratulari, meum esse putavi. Rogo eroque vt haec omnia TIBI feliciter succedant, ac TIBI TVISque gloriae sint honorique DEVS T. O. T. M. bona Valetudine TE semper esse praeditum iubeat, vt in posterum studia TVA e voto prosequaris. Tum finem, quem intendis, optimum quin obtineas, nullus dubito, et vt preces, quas siveo ardentissimas effundam, sis FELIX, sis FAVS-TVS. Me vero quod attinet, rogo vt indies diesque amicitia adcreseat nostra. D. Halae d. 16. Oct. 1748. Vale Valet.

H 2

NOBI-



NOBILISSIMO  
nec non  
DOCTISSIMO  
RESPONDENTI  
AMICO SVO SEMPITERNO  
S. P. D.  
M. H. GAEFERT,  
L. L. C.

*Quod dicitur, si verum est, de quo vero dubitatio omnibus sit sublata: amicitia est vitae ac officiorum omnium societas, hoc tritum sermone prouerbium iure meritoque ad statum quadrare nostrum AMICE INTEGERRIME, animo forti obfirmatoque mihi persuadeo. Omnibus igitur in casibus fortunatis TIBI obuientibus, animus meus ad declarandum confirmandumque TIBI de hisce gaudium ac laetitia paratus est atque promptus. Consilium, studium, officium operam,*



operam, laborem, diligentiam ad veram solidamque iuris-  
prudentiae cognitionem eruditionem TIBI parandam et adqui-  
rendam, TE conferre et adhibere, patet luculentissime. Indi-  
cium ac specimen, eximiae, singularis TVAE doctrinae ele-  
gantissimum, hanc methodo mathematica conscriptam disserta-  
tionem eruditiorum examini publico subiciens, tradis atque in  
luce[m] profers. Hinc testis est ac praemium magnae TVAE di-  
ligentiae. Gratulor itaque TIBI de hoc utili gravissimoque  
TVO molimento. Gratulor de bonis quae inde originem  
trahunt. Gratulor de futuro quod PARENS DIGNISSI-  
MVS gaudium, PATRIAque Incrementum exinde capiet.  
Denique vero bene feliciterque in aeternum viuas, adeoque  
felicitas TVA in perpetuum augeatur. Amicitia TVA qua  
nihil carius mihi cogitari queat me in posterum dignum ha-  
beas. Valeas mihiq[ue] faueas.



PRAENOBILISSIMO  
CLARISSIMO atque DOCTISSIMO  
DOMINO

AUCTORI

huius DISSERTATIONIS  
ac RESPONDENTI,

S. P. D.

WEDIGE CHRISTOPHORVS  
CAROLVS BECMANN,  
OPPONENS.

Quamquam rem laude quidem dignam, satis vero iam laudatam omnibus adhuc prosequi nimium sit, atque superfluum adeoque in ritum verri possit; amicitiae tamen nostrae, et, quae inter nos a primis vnguiculis intercessit consuetudini plane non convenire putavi, nisi hac in re hisce litteris et propositum TVVM, uti aequum est, laudibus efferrem, et de eo TIBI integra sinceraque mente congratularer. Dissertationem confecisti, et tale quidem argumentum protulisti in medium, ex quo dexteritas TVA eruditioque facile elucescit. Talem TE futurum demonstrasti, qualem TE cognitum civis TPI iudicarunt. Ascendisti ergo cathedram non, ut, quid valeant humeri et quid ferre recusent experiaris; sed ut diligentiae indefessae specimen edas atque in lucem proferas. Per triennium et quod excurrit philosophiae, quo magis ad Themidis sacra adspirandi facultas TIBI supeditaretur, operam navasti. Eam quoque in iurisprudentiae studio diligentiam adhibuisti ut dignum TE parente TFO indulgentissimo ostendere possis. Coniunxisti nunc cum philosophia iurisprudentiam et methodi syntheticae caltorem TE esse, ex ipsa dissertationis elaboratione quilibet methodi istius non ignarus colligere certo potest. Sicuti autem ut aiunt, vino vendibili non opus est suspensa hedera, ita hoc etiam loco laudibus opus non est. Quid multis. Ipsa TVA dissertatio optima eruditionis TVAE testis est locupletissimus. Gratulor ergo TIBI de iis, quos in iurisprudentia fecisti, profectibus, gratulor patriae, quae diligentiae TVAE fructus in TE mox conspiciet et gratulor denique parentibus carissimis, qui, TE non modo impleturum, sed eorum quoque excesserationem superaturum non sperare solum, sed considerare certo possunt. Ego hac in re diutius haerere et in laudes TVAS excurrere nolo. Nihil itaque reliquum est, nisi ut favori me TFO commendem, et quo incipisti amore me prosequi non dedigneris. Vale. d. XVIII. Octobr. MDCCXLVIII.

☉ ) : ( ☉ ) : ( ☉ ☉



Kalle, Diss., 1748 (1)

ULB Halle

002 729 407

3




56

v. 18









DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**LEGATIS POENAE  
NOMINE RELICTIS,**

1, 811. 2  
174882

pb

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO  
CONSULTISSIMO ET DOCTISSIMO  
**GVSTAVO BERNHARDO  
BECMANNO,**

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE ET PHILOSOPHIAE  
MAGISTRO,

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI  
AD D. XVII. OCTOBR. A. R. S. M DCC XXXXVIII.

SVBMITTET

AVCTOR RESPONSVRVS  
**ADOLPHVS FRIDERICVS LOCCENIVS,**  
STRELITIO-MEGAPOLITANVS.  
J. V. C.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
EXCVB. CHR. FRID. NATHAN. FÜRST. ACADEM. TYPOGR.

